

559  
H. Petriburgi die 10 Octob. 1807.

285

Viro Clarissimo, Professori Morgensternio.

Gloriae tuae, quotidie magis magisque crescenti, attribuire debes, quod  
litteras ad Te mittere audeam. In Electoratu Brandenburgico natus,  
patriam, omnibus malis obrutam, deserui, et nunc Petriburgi, quo mari  
perveni, vitam dego. Hic, praeter Theologiam quam professus sum,  
praecipue Philologiae operam dedi, sodalibusque seminarii regii  
philologici auspiciis Wolfii Celeberrimi adscriptus eram, id quod  
testimonio academico Tibi probare possum. Omnia quae ad iuventutem  
excolendam pertinent mihi semper maxime cordi fuerunt, et hanc ob  
rem nec linguam gallicam nec mathefin neglexi. Munus magistri  
Paeagogique in aliqua familia subire toto ex animo opto, Livonia

miki =

460

michi prae ceteris arridet, fautoribus ibi careo, Humanitatis Tuae autem non ignarus, ad Te confugio, sperans fore ut, Te mihi favorem non recusante tale munus facile accipere possem. Si id, quod ex Te petii, consecutus fuero, in officiis patriandis, morum integritate, diligentia et assiduitate favore Tuo me dignum probabo, erga Te autem gratissimo animum totam per vitam conservabo. Ne preces meas oblivioni tradas, responsisque participem me reddas, etiam atque etiam rogo.

Non adresse est: à Monsieur Monsieur  
Mr. W. Amburger et Comp. à St. Petersbourg.  
en le priant de faire passer cette lettre entre  
les mains de Mr. Gaediche.

Gaediche.  
Candidatus Theologiae